Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26152
Copyright: Admont, Benediktinerstift



In quo ostenditur quia scandalizari non potest grandis et perfecta anima sed pusilla et rudis. sicut in psalmo dicitur. pax multa diligentibus legem tuam domine. et non est illis scandalum.
Simili quoque exemplo potest uideri. quod pusilla queque uinea idem incipiens anima possit a uulpibus id est a malignis cogitationibus uel prauis doctoribus ledi. perfecta uero et ualida non possit. sed si capiantur a bonis doctoribus uulpes iste. et abiciantur ex anima. tunc proficiet in uirtutibus et florebit in fide. florebit amigdalum in pinguabitur locusta. et dissipabitur capparis. quo ibit homo in domum eternitatis suae. et circuibunt in plateis plangentes. Per metaforam etiam nunc de membris nostris ecclesiastes sermo est. quod cum senectus aduenerit capillus incanuerit intumuerint pedes. libido refrixerit. et homo fuerit dissolutus. tunc in terram suam reuertatur et in domum eternitatis suae. ad sepulchrum exequiis rite celebratis atque finitis plangentium turba circa sepulchrum in platea procedit. Haec uero nomina id est amigdalum locusta. et capparis per figuram seni conueniunt. amigdalum pro canitie. locusta pro crurum dolore. et pedum tumore. et capparis pro frigescente libidine.